



oo ge



33

Q. D. B. V.

ANGELOLO- GIA

Aliquot declamationibus explicanda
in Schola

ARNSTADIENSI

Sub finem Examinis autumnalis

Ann. M. DC. LXXII.

Dirigente

M. JOH. CRAUSIO

Rect.



ARNSTADIÆ
LITERIS SINGIANIS.





Quod in plerisque aut tantum non omnibus fidei dogmatibus usu venit, ut diversæ religionis homines in diversas circa ea opiniones abeant: Id in nobilissima doctrina de Angelis pariter evenit. Aliter enim hinc sentiunt Pagani; aliter recutiti: aliter Muhammedani: aliter Christiani. Quid? quod & singulorum horum, uti variz sunt dividia, ita variantes sint sententia, quarum quasdam ex relatione auctorum allegatorum historicè tantum recensebo. Ex ETHNICIS facile principatum sapientia olim tenuerunt Græci: Inter quos PLATONICI genis subtilia tribuerunt; corpuscula; PERIPATETICI verò intelligentias adjunxerunt orbibus cœlestibus, ac si eos per modum formarum assistentium unà cum stellis infixis in gyrum circumagerent. In Oriente Arabes Angelos, ante Islamismum admissum, adorârunt. Vid. HOTTING. Comp. Theat. Orient. lib. 1. cap. 1. pag. 8. postea verò ipsi hoc repudiarunt. Vid. idem l. 1. cap. 2. p. 35. Ex JUDÆIS Sadducæi planè inficiati sunt Angelos Act. XXIII. 8. Ceteri verò verpi hæcenus quidem ab ipsis abeunt, dum Angelos quæ bonos, quæ malos agnoscunt, febricitantium tamen more, referente Gersono, miræ de iis somniant. Tradunt enim, bonos Angelos esse spiritus mortales, & ad peccandum proclives, eosque post peccatum commissum abjici in voraginem igneam, oriundam ex sudore igneo Angelorum, thronum DEI portantium: ibi eos destrui, & dehinc ex ea iterum produci. Eosdem esse Deo à consiliis, quibus imperium hujus universi commiserit (reservatis sibi duntaxat clavibus cœli pluvias demittentis, uteri materni & sepulchrorum) ac proinde alium præfectum esse igni, alium aquæ: alium huic, alium illi regioni, præcipuè vero Rasielem cancellarii: Suriem camerarii: Raphaelem medici; Marsielem caduceatoris munus obire. De malis Angelis iidem con-

con-

contendunt, ipsos quidem sanctos à Deo conditos; at enim duos eorum Schamchufai & Ufaelem, eò quòd creationem hominum improbarent, è cœlo deturbatos, filias hominum matrimonio sibi junxisse, atque hinc Diabolos ceteros prodiisse. Eos ipsos oberrare hinc inde quadripartito agmine, ita ut quivis cœtus ambulatorium eumque trimestrem magistratum gerat, atque ipsum post solem occasum usque ad noctem concubiam exerceat, insidiasque imprimis struat neophymis, parturientibus, & moribundis, quibus Angelus mortis nimum quantum formidabilis sit. Horum proinde cacodæmonum strophas variis etiam amuletis & modis amoliri solent. Vid. CHRISTIANUS GERSON, ex Judæo profelytus Christianus, in Talmud Germanico lib 1. cap. 7, 8, 9, 10. & lib. 2. cap. 14. BUXTORFIUS Synag. Jud. cap. 4. & 49. Ejusdem furfuris sunt, quæ ISLAMITÆ comminiscuntur, fingentes, ex bonis Angelis esse quosdam vastissimi corporis, & tanti roboris, ut vel unâ horâ de cœlo in terram devolare, unicaque alarum suarum penna montes transferre queant. Atque horum agmen ducere Gabrielem, qui Muhammedi nigrum peccati guttam exemerit: Esraelem verò utpote mortis angelum, animas defunctorum recipere. Quod autem ad cacodæmones attinet, nugantur, Iblis seu Luciferum, lucis quondam angelum, cœlo ejectum esse, quoniam coram Adamo procidere noluerit: eum postea filios plurimos sive diabolos produxisse, hominibus insidiantes: sperareque, fore, ut in decretorio die gratiam divinam recuperet. In fine precum etiam ridiculè genios compellant Musulmani: bonum enim, quem ad sinistram, ipsis honoratiorem, consistere autumant, facie blandâ; malum verò, à dextris stantem, terrico & hostili vultu quasi aspiciunt, repetitâ multoties solenni precum suarum formulâ. Vid. SALOMO SCHWEIGGERUS lib 2. hœdæporici Constantinop. cap. 14. p. 186. & lib. 1. Alcorani cap. 3. & JOH. ULR. WALLICHIIUS de relig. Turc. p. 7. seqq. Ad CHRISTIANOS denique si pedem proferimus, multa & hinc sublestæ fidei deprehendimus. Taliâ sunt, quòd nonnulli Patrum cum Platonicis corpora angelis tribuunt: quòd Origenistæ & Sociniani, diabolos aliquando à suppliciis liberatum iri contendunt: quòd Jacobitæ angelos ex igne & luce constare ajunt: quòd Scholastici ex Dionysio novem Angelorum ordines

nes confinxerunt: quòd Pontificii Angelolatræ religiosum cultum
iis deferunt: quod Joh. Teze'ius indulgentiarum nundinator pen-
nam Michaeli Archangelo à dracone antagonista evulsam ostendere
non erubuit; quæque hujus monetæ sunt alia, passim à Theologis no-
stratibus refutata. Ita vero cum omnibus adhuc recensitis com-
paratum est, ut cum suâ futilitate satis se prodant: tum Scripturæ S.
è diametro adversentur; certè nullum neque in ea, neque in sobria
ratione, fundamentum habeant: quæ proinde enarrasse est confutâs-
se. Nos meritò dolemus vicem eorum, qui etiamnum his naniis
delectantur, & ad coruscantem veritatis divinæ lucem oculos caligantes
aperire nolunt: Deo verò impensè gratias agimus, quod splendidis-
simam verbi sui pharum in Ecclesiis nostris suspendit, & ut posthac
clementer conservet, supplices rogamus. De cetero cum superio-
ribus diebus doctrina de Angelis in templis nostris solemniter repe-
tita fuerit: visum fuit discipulis quibusdam nostris bonæ spei tempo-
ri servire, & in eodem argumento viriculas periclitari. Elaborâ-
bunt igitur

I. NICOD. HIERON. BARTHOLOMÆI,
Arnstad. orationem Hebraicam de Angelis bonis.

II. JOH. Zinck / *Francobus, Th.* orationem La-
tinam de iisdem.

III. JOH. HENR. Bergmann / *Arnst.* oratio-
nem Latinam de Angelis malis.

Et quandoquidem à plurimum Venerabili Hagio Synedrio Ex-
amini nostro scholastico hæc ipsa hebdomas dicta est, ideo sub ejus fi-
nem hæc declamationes recitabuntur. Quas ut Magnifici & Excell.
Dnn. Scholarchæ, Inspectores & eruditi omnes haut gravatim auscul-
tare velint, eâ, qua par est, ratione oro & contendo. *Arnstadie*
Dom. 18. Trinit. Ann. 1672.

AB: 155735 (1)

ULB Halle 3
003 023 915



80

V. 12





